

OFFICIUM REVOCANDI AD CIVILEM VITAE CULTUM EVANGELICA PRAEDICATIONE, IN EVANGELIZATIONE PATAGONIAE

SUMMARIUM: Tensiones inter evangelizationem et iura evangelizandorum. Unio inter praedicationem et promotionem cultus civilis. 1. Formulae scriptae quae unionem ostendunt: A. Ex parte missionis. Testimonia: a) ex S. Ioanne Bosco; b) ex Vicario Apostolico Cagliari; c) ex superiore religioso Bodrato; d) ex toparchate nativo Pichilao. B. Binomium non invenitur in documentis praecedentibus sive a) archidioecesis bonaerensis, sive b) Congregationis de Propaganda. C. Invenitur, quoad Patagoniam saltem, ultimis decenniis saec. XIX: a) in archidioecesi bonaerensi, b) in documentis Congregationis de Propaganda. D. Magis in genere quoad missiones et in latinoamerica. 2. Cautiones ad iniustitias vitandas: missiones itinerantes, reductiones, collegia, cura immigrantium, optio pro pauperibus. Conclusio.

Die 12 decembris 1990 IOANNES PAULUS II thema statuit reflexionis ad IV Conferentiam Generalem Episcopatus Latinoamerici, celebrandam, mense octobri 1992 ad Santo Domingo, quod sic sonat: «*Nova evangelizatio, promotio humana et cultura christiana*».

Ex sola formulatione, sed praesertim ex laboribus praepparatoriis et ex ipsa historia evangelizationis latinoamericanae patet thema propositum implicare intimam relationem praedicationem evangelicam inter et civilem cultum vitae¹.

¹ Cfr. CELAM, «Documento de Consulta», Bogota 1991, et CELAM, «*Glosas y Comentarios*» (Texto auxiliar del documento de Consulta), Bogotá 1991. Auctor iam a limine grates habet

Haec relatio, vero, penitus tensionem patitur, cum evangelizatio Latinoamericae, iam ab eius initio, sese opponere debuit viribus quum libertatem et iustitiam erga populos evangelizatos laedentibus tum ipsam evangelizationem implicantibus².

Tensio continuat et in hodiernis triviis manifestatur³.

Existimo ius canonicum ad servitium peculiare, in his adiunctis praestandum, vocari cum praecipue agatur de iustitia, de libertatibus et de identitatibus tuendis.

Evangelizatio Patagoniae, in eius initio, occasionem offert in qua conditiones iuridicae manifestantur quae servitium de quo agimus praestent. Hac de causa, consideratio primae evangelizationis Patagoniae patefacere potest viam ministerio canonico in problemata crucialia hodiernae evangelizationis latinoamericanae.

In Evangelizatione Patagoniae, unio inter praedicationem evangelicam et promotionem hominis ad civilem vitae cultum peculiari vi iuridica apparet ornata. Labente nempe, brevi tempore ad instituentes et stabiliendas missiones — id est, postremis

maximas ERNESTO SZANTO, SDB atque VALENTIN REBOK, SDB propter generosam assistentiam in rebus historicis investigandis atque archivis consulendis.

² Cfr. MERCEDES SOLS LUCIA et JOSÉ I. GONZÁLEZ FAUS, «Textos para el Quinto Centenario de América Latina», Barcelona 1990; specialiter videas in pag. 6 transcriptionem declarationis Papae PAULI III in Bula «Sublimis Deus», 1537.

³ Verbi gratia haec tensio clare apparet in «Documento de Consulta», cit. (nt. 1) cum loquitur de cultura christiana et de nova cultura, nn. 98 ad 112.

duobus decennis saeculi XIX durantibus⁴ — «praedicatio evangelica» et «promotio ad civilem vitam»: apparent ut aliquid intrinsece unitum; et quidem ita ut coniunctim, servitium aliquod praestant in Ecclesia, ita ut officium constituent; dum simul protegi procurantur cautionibus quae, ab iniustitia, sic dictum officium protegant.

Ad has affirmationes, quae nobis pateant, exponendas duobus illas capitibus considerabimus, scilicet,

1. Relemus formulas scriptas quae referuntur ad unionem inter «praedicationem evangelicam» et «promotionem ad civilem vitam».

2. Cautiones quae, in labore pastoralis missionis, officium «revocandi ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione» ab iniustitia protegent, recordabimur.

⁴ Hic considerabimus periodum quae transit ab initio missionis salesianae in Patagonia, a. 1879, usque ad Primum Capitulum salesianorum in America Latina, a. 1902.

Ut iam diximus, implicationes inter praedicationem evangelicam et vitam civilem ab initio adsunt in evangelizatione latinoamericana. Saeculo XIX, tamen, magis verbum adhibetur «civilizatio», quae religione et praedicatione intrinsece uniri concipitur. V. gr.: PALAVICINO, «Memoria sobre la Araucanía, por un misionero del Colegio de Chillán», Santiago 1860, in pag. 40 dicit: «... la religión de J.C. objecto primario de las misiones es *esencialmente civilizadora* ...» (citatus a ROLF FOERSTER, in «Tópicos '90», Santiago de Chile 1991, pag. 56; et Concilium Provinciale II Quitense, a. 1869, in decreto III statuit: «Innumeras infidelium tribus, ... *ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione* conari revocare, omnium est gravissimumque officium ...». Existimamus, vero, initiationem evangelizationis Patagoniae, occasionem fuisse ut indoles iuridica «colendi vitam civilem praedicatione evangelica» peculiariter manifestaretur.

1. Formulae scriptae quae referuntur ad unionem inter «praedicationem evangelicam» et «promotionem ad civilem vitam»

A. *Ex parte missionis, formulae scriptae quae unionem affirmant.* Sufficiat sequentia adducere testimonia:

a) *Ex Sancto Ioanne Bosco.* Sufficit hic recolere verba S. IOANNIS BOSCO litteris ad Archiepiscopum bonaerensem Mons. ANEIROS, diei 13 Septembris 1879:

«... desiderabam, illis regionibus Patagoniae, *civilem vitam evangelica praedicatione mediante...*»;

«... regenerare incolas *ad religionem ideoque ad vitam civilem...*»;

«... *religio catholica* actione sua, et benefica *et vitam civilem colente...*»;

«... beneficia gaudere *et religionis et societatis...*»⁵.

⁵ En textus originalis:

a) «... acudan pronto misioneros para socorrer esas pobres almas que carecen de todo bien *moral, religioso y civil*, y mi corazón, que desde hace tiempo ansiaba *la civilización mediante la predicación del evangelio*, de aquellas comarcas y regiones patagónicas...»;

b) «... los salesianos... se hacen cargo de esa trascendental misión que *tiene por fin regenerar a la religión y por consiguiente a la civilización*, a los moradores...».

c) «... en esta empresa yo cuento mucho con el apoyo nacional y de todo el pueblo argentino que en tanto aprecio tiene *la religión católica con su acción benéfica y civilizadora* de las colonias, de las tribus y de los pueblos»;

d) «... podemos ir adelante en tamaña empresa... obra de Dios y de un gran porvenir para aquellos pueblos que están llamados a gozar de los beneficios de *la religión y de la sociedad*». Ex litteris a Don Bosco ad Archiepiscopum bonaerensem Mons. ANEIROS, diei 13 septembris 1879, in JUAN E. BELZA et ANGEL

Sola in hac epistula S. IOANNIS BOSCO, quater loquitur de argumento nostro. Binomium «evangelizare et civilizare» tamen, pervadit omnem conceptionem missionalem sancti, ut iam ab specificis studiis demonstratum est⁶.

b) *Ex Mons. Ioanne Cagliero*: Hic fuit Vicarius Apostolicus Patagoniae ab anno 1883. Certiorem faciens Congregationem Propagandae Fidei, per litteras diei 30 junii 1885, de laboribus pastoralibus missionum loquitur de «consiliis nostris *colentibus vitam civilem* pro eremo isto»⁷;

Ipse Vicarius, in similibus adiunctis, anno 1892, ad Praefectum Propagandae Fidei loquitur de «*itinere christianae civilizationis*»⁸.

MARTÍN GONZÁLEZ, «Patagonia 79, un siglo de camino», Agenzia Notizie Salesiane, Roma 1979, pag. 76 et 77.

⁶ BORREGO JESÚS, «Originalidad de las Misiones Patagónicas en Don Bosco», Università Pontificia Salesiana, Roma 16-20 gennaio 1989, pag. 7, notae 31 et 32.

BORREGO JESÚS, «Primer Proyecto Patagónico de Don Bosco», in Ricerche Storiche Salesiane», Anno V - N. 1 (8), gennaio-giugno 1986, pag. 67, nota 294.

BORREGO JESÚS «Recuerdos de San Juan Bosco a los primeros misioneros», LAS, Roma 1984, pag. 19 ad 23.

JUAN E. BELZA et ANGEL MARTÍN GONZÁLEZ, «Patagonia 79 ...», (cf. nt. 5) pag. 29 ad 32.

⁷ «... i nostri piani *civilizzatori* di questi deserti», litteris Vicarii Apostolici CAGLIERO ad Saecretarium Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Mons. DOMENICO JACOBINI, diei 30 junii 1885. Archivio Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, legajo «Vicariato Santa Sede 1ª. (1) Vicariato a Sagrada Congregación de Propaganda Fide.

⁸ «... e con vera soddisfazione ho potuto constatare il progresso che il Tehulche, l'Ona e l'Alacaluf vanno facendo nel *cammino della civiltà cristiana* ...». Litterae Vicarii CAGLIERO ad Praefectum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Card. LEDOCHOWSKY, a. 1892. Archivo Histórico de las Misiones Sale-

c) *Ex Francisco Bodrato*. — P. BODRATTO, cum esset primus superior maior salesianorum in America, uno anno labente, tres epistulas scripsit ubi etiam clare statuit binomium «evangelizare-civilizare»:

Ad IOANNEM BOSCO, die 4 februarii 1879 dicit: «... mittere collegia in Patagoniam ad indigenas *civilizandos*»⁹.

Ad Papam LEONEM XIII, vero, die 27 decembris 1879 scripsit: «... prima semina spargere *christianae civilizationis*»¹⁰;

c) Ad IOANNEM BOSCO iterum, die 26 Ianuarii 1880 dicit: «... levabunt ... *crucem civilizationis* ...»¹¹.

d) *Ex duce indigena Pichilao*. ANDREAS PICHILAO, toparcha tribus, ex parte indigenarum baptizatorum, sic se expressit anno 1893: «... docuit nos (missionarius) *iter ad coelum et ad civilem vitam colendam* ...» iuxta testimonium Superioris Missionis¹².

sianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo Vicariato Santa Sede 1ª., 1. Vicariato a Sagrada Congregación de Propaganda Fide.

⁹ «... Ella vuole mandare i suoi collegii nella Patagonia per civilizzare gl'indii...». BODRATTO FRANCISCUS «Epistolario (1857-1880)», Textus criticus a JESÚS BORREGO, LAS, Roma 1988, pag. 357, n°. 28.

¹⁰ «... a catechizzare ed instruire nella fede le altre tribù infedeli sparse in quei vasti deserti ed a *gettare i primi semi della civiltà cristiana* in quei poveri selvaggi». «Epistolario» (cf. nt. praec.), pag. 424, nn. 45-47.

¹¹ «... Levantarán siempre en sus pueblos a la vez que la *cruz de la civilización* ...», Epistolario (cf. nt. 9), pag. 432, nn. 42-43.

¹² «... nos enseñó (el misionero) el *camino del cielo y de la civilización*...». Relatio Superioris missionis DOMINICI MILANESIO ad Archiepiscopum bonaerensem, februario 1893. Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Central Vicariato-Iglesia Jerárquica Argentina 2, relaciones sobre las Misiones de la Patagonia».

Hi quattuor testes qualificati, — DON BOSCO, MONS. CAGLIERO, P. BODRATTO, DUX PICHILAO — concorditer unionem exprimunt praedicationem evangelicam inter et revocationem ad cultum vitae civilis, in initio evangelizationis Patagoniae.

B. *Antequam missiones salesianorum inceptae essent in Patagonia non videtur quis, in documentis Ecclesiae, binomio «evangelizare-civilizare» usurpasse:*

a) *In Archidiocesi bonaerensi:* Paucis annis ante inceptum missionum salesianorum, Archidiocesis bonaerensis edidit quaedam documenta relativa ad intentum initiandi missiones inter indigenas. Titulus sub quo facta fuit editio iam indicat binomium «evangelizare-civilizare» ignotum fuisse, nempe: «*Documenta de missionibus ad conversionem indorum ad catholicismum*»¹³. Quattuor sunt documenta sub dicto titulo contenta, in quibus oportune possibile erat uti binomio «evangelizare-civilizare», tamen in unaquaque oportunitate semper expressio similis ac illa tituli prolata fuit nulla allusione ad binomium.

Sic litterae Archiepiscopi bonaerensis, in ipsa pagella, ter loquuntur de «conversione indorum» et de illa tantum¹⁴,

Pariter in litteris Internuntii Apostolici etiam mentio fit tantum de «conversionem indorum»¹⁵;

¹³ «Documentos sobre las misiones para la conversión de los indios», buenos Aires, 1972. Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia», legajo «Vicariato Aborígenes».

¹⁴ «Documentos sobre las misiones...» (cf. nt. praec.) pag. 3, in qua pagella tres expressiones sunt citandae: «A los señores miembros del Consejo para la conversión de los indios»; «... la Santa Obra de la conversión de los indios al catolicismo...»; «... tratándose de la Conversión de los indios».

¹⁵ «Documentos sobre las misiones ...» (cf. nt. 13) pag. 5:

Quin immo, litterae Papae Pii IX sese referunt ad «salvos indos faciendos»¹⁶;

Propositum a Congregatione Sancti Lazari loquitur etiam de «conversione indorum»¹⁷.

Verbum vero «civilizatio», apparet in duobus propositis legibus ab auctoritatibus civilibus perfectis, et ipsi editioni aggregatis¹⁸.

b) *A Sacra Congregatione Propagandae Fidei*: Responsiones Propagandae Fidei ad Vicarium CAGLIERO, ab anno 1885 usque ad 1894, expressionibus utuntur ut «opus ministerii», «opus evangelizationis», «progressio religionis et salus animarum»¹⁹; numquam tamen binomio «evangelizare-civilizare», etsi,

«Remití a nuestro Santísimo Padre el hermoso proyecto sobre la conversión de los indios».

¹⁶ «Documentos sobre las misiones...» (cf. nt. 13), pag. 6: «... procurar la salvación de los indios».

¹⁷ «Documentos sobre las misiones...» (cf. nt. 13), pag. 8: «... una compañía de Misioneros de la Congregación de la Misión para la conversión de los indios...».

¹⁸ «Documentos sobre las misiones...» (cf. nt. 13), pag. 10 ad 14 «Proyecto presentado por el ministro de culto al Congreso» et pag. 15 ad 19 «Proyecto de ley para la pacificación y sometimiento de los indígenas».

¹⁹ Responsiones a Card. SIMEONI dierum 12-XII-1885, 29-VIII-1886, 17-I-1887, 6-XII-1889 et 31-V-1891, et a Card. LEDOCHOWSKY diei 24-IX-1894. En expressiones quae magis intersunt themati nostro: «le opere iniziate per l'evangelizzazione di cotesti popoli», «l'opera di evangelizzazione da lei iniziata» (litt. 17-I-1887); «promuovere costì lo sviluppo della religione e la salvezza di tante anime» (litt. 24-IX-1894). Etiam collectiones quaestionum a Propaganda Fide missae, ab anno 1877 usque ad 1886, binomium «evangelizare-civilizare» ignorant. Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Vicariato-Santa Sede, Congregación de Propaganda Fide a Vicariato».

ut iam vidimus, Mons. CAGLIERO in litteris ad Propagandam Fidem mentionem faciebat de isto binomio.

C. *Ultimis duobus decennis saeculi XIX progredientibus, quoad Patagoniam saltem, apparet et extenditur usus binomio in documentis Ecclesiae:*

a) *In Archidiocesi bonaerensi:* Ipse Archiepiscopus Mons. ANEIROS, qui ut vidimus a. 1872 nec mentionem faciebat verbi «civilizationis», in litteris pastoralibus a. 1882 loquitur de «... indis ... qui hodie ... *vitam civilem et christianam* vivunt» et etiam de «... *missionario* qui maximi momenti est dum multi indi *civilizandi* sint»²⁰;

Societas vero Missionalis laicalis Sancti Josephi, ab ipso Archiepiscopo bonaerensi fundata ad missiones patagonicas adiuvandas, in eius libello commemorativo anni 1889 dicit: «... (missionarius) semen attulit restitutionis *civilizantis et christianae*»²¹

b) In documentis Sacrae Congregationis Propagandae Fidei:

Congregatio Propagandae Fidei, quae a 1885 usque ad 1894 non adhibebat in suis documentis binomium, anno 1895 ad Vicarium Cagliero sic scribit: «... progressus ... quem accipit sacra nostra

²⁰ Litterae quadragesimales archiepiscopi bonaerensis, 22 februarii 1881. Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Vicariato-Iglesia Jerárquica Argentina». En textus originalis utriusque expressionis: «... algunos miles de indios que hoy viven en Buenos Aires *vida civilizada y cristiana* ...» (pag. 8); «*El misionero* es de gran necesidad e importancia. Todavía hay muchos indios que *civilizar* ...».

²¹ «... llevó (el misionero) el *germen de una reforma civilizadora y cristiana*». Memoria de la Sociedad de San José, Buenos Aires, 1º julii 1889, pag. 5. Archivo de las Misiones Salesianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Vicariato-Iglesia Argentina».

religio simulque cum religione civilizatio illa christiana»²².

Mutatio haec, quam notavimus, in Archidiocesis bonaerensis et Propagandae Fidei documentis, in modo sese exprimendi et persistentia binomii intentionalitatem indicare videtur in Ecclesia, quae peculiarem unionem evangelizationem inter et civilizationem promovere vult.

D. *Prospicitur quaestio in ambitu Ecclesiae universalis et latinoamericanae*.

Imprimis, In schemate Constitutionis super Missionibus Apostolicis, in Concilio Vaticano I (a. 1870) non invenitur sermo de unione inter praedicationem evangelii et civilizationem²³. Nec videntur diversimode locuta esse duo schemata priora²⁴. Nec in permultis adnotationibus ad schema pariter quidquam invenitur in sensu illius unionis²⁵.

Pro parte sua, Archiepiscopus bonaerensis, Mons. ANEIOS, in litteris pastoralibus anni 1881 iam citatis, cum loquitur de civilizatione ad laborem missionalem unita, expresse nititur mente Papae LEONIS XIII antequam ad Sedem Apostolicam evectus esset²⁶.

²² «... lo sviluppo che ... va prendendo di giorno in giorno la religione nostra santissima, e colla religione quella civiltà cristiana» (ex litteris a CARD. LEDOCHOWSKY diei 15 maii 1895). Archivo ..., legajo «Vicariato-Santa Sede, Congregación de Propaganda Fide a Vicariato».

²³ Discussio Schematis Constitutionis super Missionibus Apostolicis, iulii 26, 1870, Mansi 53, 45-61.

²⁴ SANTOS ANGEL, «Aspecto Misional del Concilio Vaticano I» in *Estudios Eclesiásticos* 45 (1970), pagg. 491-532.

²⁵ Animadversiones a nonnullis patribus scripto traditae in schema constitutionis super missionibus apostolicis, Mansi 53, 61-154.

²⁶ Speciatim Archiepiscopus bonaerensis sese refert ad litte-

Papa iam factus, LEO XIII, mense novembri 1885, in Encyclica «Immortale Dei», relationem specialem indicat inter laborem Ecclesiae et religionem et civilizationem²⁷.

Mirum non videtur Concilium Plenarium Americae Latinae anno 1899, cum exprimat relationes Ecclesiam inter et societatem civilem, doctrina niti Papae LEONIS XIII et speciatim Encyclicae «Immortale Dei»²⁸.

Ipsam Concilium Plenarium Latinoamericanum, cum tractet quaestionem missionum apud infideles, incipit affirmans binomium «evangelizare-civilizare». Et ita fit affirmatio ut «evangelizare-civilizare» appareat ut officium et ut officium gravissimum. En textus Concilii:

Infidelium tribus, ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione revocari curare, omnium est gravissimum officium, quo ecclesiastica et civilis auctoritas constringitur: id vero assequi aliquando, maximum inter omnia bonum, secum afferens religiosae et politicae societatis amplificationem et incrementum»²⁹.

Textus latinus Concilii Latinoamerici ad litteram reproducit verba Concilii Provincialis II Quitensis anni 1869³⁰. Versio hispanica Concilii, vero, simili-

ras Pastorales Mons. PECCI, nempe cum Leo XIII erat Episcopus Perusae, in litteris iam citatis (cf. nt. 20) pag. 2 ad 8.

²⁷ LEO XIII, Enc. «Immortale Dei», de constitutione christiana civitatum, nn. 1 et 26 ad 29.

²⁸ Acta et Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae, Roma 1906, nn. 79 ad 91. Concilium celebratum fuit Romae, a. 1899.

²⁹ Acta et Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae, n. 770.

³⁰ Concilium Provinciale II Quintense, decretum III.

bus verbis utitur ac IOANNES BOSCO in litteris ad Archiepiscopum bonaerensem, a. 1879, supra citatis³¹.

Dispositio haec Concilii Latinoamerici anni 1899, recolens illam Quitensem, triginta annos antecedentem, est veluti culmen cuiusdam processus in Ecclesia. Concilium recognoscit, saltem in ambitu Ecclesiae Latinoamericanae, obligationem ad peculiarem servitium praestandum. Peculiaritas servitii adest non solum in Evangelio nuntiando sed etiam in eo quod ipsa praedicatio Evangelii cultu civili vitae implicatur.

Implicatio haec iam in initio aderat evangelizationis latinoamericanae, ut vidimus supra. Ultimis vero decenniis saeculi transacti, speciales formulationes ipsarumque usus extensio monstrant expressam conscientiam et intentionem Ecclesiae relate ad «revocandum in civilem cultum, praedicatione evangelica».

Dispositio Concilii Latinoamerici indolem iuridicam hujus intentionis revelat quatenus clare sancit «officium gravissimum» ad «maximum bonum assequendum»; subjectum hujus officii statuendo, modo speciali, auctoritatem tam ecclesialem quam civilem; quod officium respicit, iuxta praescripta Concilii, tribus infidelium.

³¹ «... procurar llevar (a las tribus) la civilización, por medio de la predicación evangélica» dicit Concilium Latinoamericanum, «... ansiaba (para esas comarcas) la civilización mediante la predicación del evangelio...» dicit epistula IOANNIS BOSCO (cf. nt. 5).

2. Cautiones quae, in labore pastorali missionis, officium «revocandi ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione» ab iniustitia protegunt.

Duo sunt errores qui, ab initio praedicationis evangelicae in Latinoamerica, ejus veritatem minantur. In verbis Papae IOANNIS PAULI II, hi errores sunt: Mutua subiectio inter crucem et gladium; Immodica propinquitas vel confusio inter ambitum laicalem et religiosum³².

Uterque error adfuit in evangelizatione Patagoniae ita ut unio nuntii evangelici cum impulsu civilizationis periculum ferret ne praedicatio evangelica identitatem amitteret³³.

³² IOANNES PAULUS II, Allocutio diei 9 martii 1983, in Stadio Olympico, Haití, III, 3, p. 34. Videas etiam RUBÉN D. GARCÍA, «La primera evangelización y sus lecturas. Desafíos de la nueva evangelización» in *Teología* (Buenos Aires) XXVII, n. 56, pag. 111 ad 152, specialiter pag. 119.

³³ Missionarii, iam ab initio missionum in Patagonia, multoties reiciunt unionem cum militibus (cf. litterae Superioris BODRATTO diei 1º maii 1879, Boll. Sales. mense iunii 1879; etiam PAESA PASCUAL «Influencia del ambiente histórico en las formas de evangelización salesiana a los indígenas patagónicos», pag. 312 ad 315, in Archivo Histórico de las Misiones Salesianas en la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Central Vicariato-Misiones») et indicant crudelitates consequentes ex interventu militari et expugnatione (cf. litterae Superioris BODRATTO diei 4 ianuarii 1879, Bollettino Salesiano aprilis 1879; litterae Patris COSTAMAGNA, Bollettino Salesiano iunii 1879; litterae Patris MILANESIO diei 20 februarii 1883, Bollettino Salesiano iulii 1883).

Missionarii etiam denuntiant malum exemplum et iniustitias christianorum (cfr. litteras Patris COSTAMAGNA diei 6 martii 1881, Bollettino Salesiano novembris 1881; litteras Patris FAGNANO martii 1883, in PEDRO STELLA «Don Bosco nella Storia della religiosità cattolica», LAS, Roma 1979, pag. 177 nota 42). Missionarii quoque denuntiant laicismum Status et abusum instituti Patronatus (cf. Litteras Mons. CAGLIERO ad Secretarium

In labore missionum Patagoniae duas cautionum species invenimus praecipuas, quae iustitiam evangelicam, in exercitio officii «civilem vitam colendi praedicatione evangelica», in tuto collocare intendebant, scilicet,

a) Illae quae et identitates et libertates indorum defendere conabantur;

b) Illae quae novam complexionem societatis praepararent et cui faverent.

Videamus quomodo sic dictae cautiones apparent in ipso labore pastoralis:

Missionarius itinerans: Missionarius Patagoniae est itinerans. Aliquo modo sese facit distans a castris et a societate invasora et quaerit indos in illo ambitu vitali quo adhuc ut proprio ipsi gaudere possunt³⁴. Linguis loqui indigenarum pertinet etiam ad ipsorum identitatis propriae defensionem³⁵.

Propagandae Fidei Mons. DOMINICUM JACOBINI diei 30 junii 1885. Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, Bahía Blanca, legajo «Vicariato-Santa Sede 1ª»). De his difficultatibus exortis a relationibus cum societate civili potest videri: REBOK VALENTÍN «Iglesia y Sociedad en el Primer Lustró de la Patagonia Incorporada», Pontificia Universitas Gregoriana, Facultas Historiae Ecclesiasticae, Roma 22 novembris 1979, pag. 10 ad 14, 48 ad 53 et 71 ad 76. Necnon, inter conspirationes cum iniustitia societatis modernae, elenchanda est ipsa conceptio missionalis quae absolutizabat culturam europeam et, aliquo modo, imperialismo maculabatur (cf. BORREGO JESÚS «Estrategia misionera de Don Bosco» in «Don Bosco nella Chiesa a servizio dell'umanità», Pietro Braido, LAS, Roma 1987, pag. 197).

³⁴ BRUNO CAYETANO, «Los salesianos y las hijas de María Auxiliadora en la Argentina», Buenos Aires 1981, Vol. I, pag. 488 ad 489.

³⁵ BODRATO FRANCISCO, litterae ad D. Bosco diei 19-X-1878, in «Epistolario» (cf. nt. 9), pag. 349, nn. 70-75.

Cognitionis linguarum indigenarum dispositio iam erat unanimiter contenta in tribus schematibus pro missionibus in Concilio

Reductiones: Propositum, in missionibus Patagoniae, fuit quoque colonias vel reductiones statuere³⁶. Parcus fuit exitus hac in re, quia gubernium civile, imponens ordinem Status moderni et timens organizationem indigenarum, maximas difficultates opposuit³⁷. Conamen vero ex parte missionis produxit saltem duo statuta ex quibus elucent cautiones iuridicae quae nostra intersunt³⁸. En condiciones praecipuae quae ex dictis statutis constant:

— Reductio offertur familiis vel tribubus indigenarum quae libere ad eam sese recipere velint;

— Gubernium cedit terras, et qualitate et mensura, aptas ad colendum;

— Missio praestat directionem et consilium technicum ad organizationem et labores, ad educationem civilem et religiosam puerorum, ad servitium valetudinis;

— Per decem annos colonia specialiter curat de rythmo proprio vitae indigenarum et protecta est ab intromissionibus societatis modernae. Per decem an-

Vaticano I (Mansi 53, 50 et SANTOS ANGEL «Aspecto Misional del Concilio Vaticano I» (cf. nt. 24) pag. 508, 510 et 517).

Concilium Plenarium Latinoamericanum insistit in lingua respectivae tribus addiscenda (n. 772).

³⁶ BORREGO JESÚS, «Estrategia misionera de Don Bosco» (cf. nt. 33), pag. 189 ad 191.

³⁷ STELLA PIETRO, «Don Bosco nella storia della religiosità cattolica», LAS, Roma 1979, pag. 179.

³⁸ Haec statuta sunt:

— Prima a PATRE FAGNANO, facta a. 1880, ut constat in litteris Patris BODRATO ad DON BOSCO scriptis die 26 ianuarii 1880) («Epistolario» (cf. nt. 9), pag. 431;

— altera, a Patre Dominico MILANESIO redacta, a. 1883, in Archivio Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia, legajo «Domingo Milanesio, Relaciones 8 M».

nos libera est a vectigalibus et ab obligationibus serviendi in militiis;

— Perfecto itinere decem annorum, cessat status protectionis et colonia et eius incolae assumunt, in ordine sociali, omnia iura et officia.

His in statutis ad nostrum scopum quod attinet haec notanda sunt:

— libera optio indigenarum ut ad reductiones accedant, quae denuntiat coactionem expugnationis et ab ea protegit;

— dispositio, ex parte indigenarum, propriae terrae, quae permittit eos propria systemata et productiva et politica, determinare.

— peculiare tempus protectionis decem annorum, quod inservit et ad tuendam libertatem et ad identitates roborandas, et ad capacitates adquirendas et ad organizationem communitatis struendam;

— condiciones aequalitatis ad integrandum ordinem sociale.

Collegia: Collegia missionum, in confinibus disposita, ad alendam iuventutem indigenam destinantur et etiam, ea mediante, ad influxum in familias et tribus exercendum. Itaque duplicem cautionem attingere intendunt, nempe et servare aptationem ad identitatem indigenarum et gradatim novam societatem complere, una cum nuntio novitatis evangelicae³⁹.

³⁹ Systema collegiorum apparet ut stratagema pastorale praecipuum in evangelizatione Patagonia. Ibi, velut in synthesisi, lucet peculiaris conceptio missionalis salesiana et clare apparet binomium «colere vitam civilem evangelica praedicatione» (cf. DON BOSCO, «La Patagonia e le terre australi del continente americano», textus criticus a JESÚS BORREGO, LAS Roma 1988, pagg. 161-165, nn. 95-175; BORREGO JESÚS. «Estrategia Misionera de Don Bosco (cf. nt. 33), pag. 143-149; STELLA PIETRO «Don

Cura immigrantium: Illis ultimis decennis saeculi XIX magna fuit emigratio ex Europa ad terras americanas⁴⁰. Praestare servitium religiosum immigrantibus apparet imprimis ut aliquid necessarium propter urgentiam situationis⁴¹. Attentio tamen ad immigrantes concepta est non seiunctim sed ut pars totius pastoralis missionalis; et ita assumitur ut et ad indigenas iter faveat et diversis servitiis ad labores missionum adiuvet⁴². Hoc modo, roboratur cautio «complendi societatem» et minuuntur affectiones colonialistae europeae quae processu emigratorio maculabantur.

Optio pro pauperibus: His in omnibus laboribus missionalibus hucusque elenchatis — missionibus itinerantibus, coloniis, collegiis, attentione ad immigrantes — «indigenae et iuvenes pauperes et derelicti» sunt ut centrum quo movetur tota actio evangeliza-

Bosco nella storia della religiosità cattolica» (cf. nt. 37), pag. 174 et 175.

⁴⁰ Historiographi sunt in Latinoamerica qui hanc emigrationem europeam saeculi XIX secundam invasionem Americae Latinae nominent, cum prima fuisset coloniale opus hispanum-lusitanum saeculi XVI. Ita relationem colonialismi internationalis cum hac emigratione s. XIX significare volunt (cf. BOFF, LEONARDUS, «Nova Evangelização», *Vozes*, 1990, pag. 26 ad 28).

⁴¹ PAESA, PASCUAL, «Influencia del ambiente histórico en las formas de evangelización salesiana a los indios patagónicos», (cf. nt. 33), pag. 304 et 305.

⁴² Cf. «Atti del Primo Capitolo Americano della Pia Società Salesiana», pag. 33, 5°, in *Archivo Histórico para las Misiones Salesianas de la Patagonia*, Bahía Blanca, legajo «Central Vicariato-Inspectoriales SDB y otras», BORREGO, JESÚS, «Primer Proyecto Patagónico de Don Bosco» in *Ricerche Storiche Salesiane*, Anno V n. 1 (8), gennaio-giugno 1986, LAS Roma, pag. 21 ad 27 et 61 ad 67.

tionis. In prima evangelizatione Patagoniae manifestatur vera intentio optandi pro pauperibus⁴³.

In hac optione pro pauperibus reducuntur in unum utraque species cautionum de quibus locuti sumus. Optio pro pauperibus est veluti affectus et habitus qui, inspirans totum laborem missionalem, servat iustitiam evangelicam in difficile officio «revocandi ad civilem vitae cultum evangelica praedicatione».

Optio pro pauperibus, saltem in conceptione et in initio evangelizationis Patagoniae, sese praebet ut aliquid revera canonicum, quatenus attingit ipsum exercitium gravissimi officii pastoralis et est fons ut ponantur cautiones ab iniustitiis protegentes.

Conclusio

In primis duobus decenniis evangelizationis Patagoniae, ut in paradigmate, apparent elementa iuridica-evangelica summi momenti evangelizationi latinoamericanae.

Binomium «revocare ad cultum civilem vitae evangelica praedicatione» sese praebet ut officium proprium et gravissimum evangelizationis in America Latina.

Periculum est, tamen, ne hoc officium, et in eius conceptione et in eius exercitio, degradetur ab evan-

⁴³ MILANESIO, DOMINGO, Relationes et litterae, legajo «Milanesio Indios». Archivo Histórico de las Misiones Salesianas de la Patagonia. «Atti del primo Capitolo Americano della Pia Società Salesiana» (cf. nt. praec.), pag. 9, litt. a); pag. 8 litt. e); pag. 9, V; pag. 32, 2°. BORREGO, JESÚS, «Originalidad de las Misiones Patagónicas en Don Bosco», Università Pontificia Salesiana, Roma 16-20 gennaio 1988, pag. 3 et pag. 6. BORREGO, JESÚS «Estrategia Misionera...» (cf. nt. 33), pag. 164 ad 166.

gelica conditione conspiracy causa cum potestatibus civilibus dominantibus.

Defensio libertatis et identitatis culturalis populorum et adiumentum ut ipsi populi fautores sint novae societatis, cautiones sunt praecipuae quae, et in conceptione et in exercitio, officium «revocandi in civilem vitam praedicatione evangelica» ab iniustis conspiracybus peculiariter servant.

Diversae sunt artes ad has cautiones implendas. Quasdam earum in descriptione laboris pastoralis missionum iam vidimus, nempe:

visitatio et insertio in ipso ambitu vitae populorum;

substractio, saltem temporalis, a systematibus quae et libertatem et identitatem populorum impediabant;

conamen pro dispositione terrarum et pro organizatione ex parte ipsius populi;

servitium capacitacionis illis qui in marginibus degunt organisationis socialis vigentis;

suscitare fidem illorum qui potestatibus gaudent in societate ut servitio derelictorum incumbant.

Praeferentia pro pauperibus exstat in evangelizatione ut fons unde surgunt hae artes per quas praedicatio evangelica, in revocando ad civilem vitam, servare potest propriam identitatem.

Cum revocatio ad civilem cultum vitae praedicatione evangelica gravissimum officium sit in evangelizatione latinoamericanae, optio pro pauperibus eminet ut institutio iuridico-evangelica in Ecclesia latinoamericana. Optio pro pauperibus enim fideiussio est ut ipsa evangelizatio et efficaciam et entitatem evangelicam servet.

ORLANDO YORIO